



Kem 3488 C 1-127

345



TRACTATUS  
DE  
CONSTITUTIONE  
ATMOSPHÆERICA.


---

QVEM  
CONSENSU AC AUCTORITATE GRATIOSAE  
FACULTATIS MEDICÆ  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO  
GRADÙ DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIAE  
RITE CONSEQUENDO  
DIE XIV. SEPTEMBRIS MDCCXCI.  
PUBLICÉ DEFENDET  
AUCTOR  
CAROLUS FRIDERICUS SCHULZ  
MEGAPOLITANUS.

---

HALAE,  
STANNO TRAMPIANO






**S T O L L I I   M A N I B U S**

**H A S C E   P A G E L L A S**

**S A C R A S   E S S E   V U L T**

**A U C T O R.**





## P R A E F A M E N.

Jam ab illo fere tempore, quo studio medico me consecrare animo decrevi, atmosphaera in producendis morbis maxime momentosa semper visa mihi est: ejusdem enim imperium ita vastum, commerciumque quod illi nobiscum intercedit, ita arctum est, ut unusquisque vel medicus ille sit, vel in re medica tyro, de gravi atmosphaerae in alteranda hominum sanitate influxu sat superque convictum se habeat. Praecipue vero ex virorum immortalium *Huxhamii* & *Stollii* scriptis didici, quam necessarium sit medico, ut attentissimo animo ad constitutionem atmosphaerae semper respiciat, si faciliorem morborum diagnosis optarit, & persuassimum habeo, medicum, qui hancce universalem morborum causam non noverit, hujusque momentosae nostrae scientiae partis gnarus non fuerit, eum certe munere suo male defuneturum esse.

Haec vero observationum atmosphaericarum gravitas ratio fuit, quod pro dissertatione inaugurali tractatum huncce qualemcumque de constitutione atmosphaerica exhibuerim, in quo de usu observationum atmosphaericarum, de

con-



constitutionum atmosphaerae divisione & tandem de atmosphaerae effectibus tam salubribus quam noxiis pauca quaedam verba feci. In elaboratione hujus opusculi ad gravissima praecipue atmosphaerae momenta respexi, ad frigus nempe calorem, siccitatem humiditatemque, & eorum nocivos effectus explicare studui. Fluidorum vero atmosphaeram constituentium analysis omisi, non quasi medicorum attentione indignam; sed quia melius elaborata jam exstat, quam pro virium mearum tenuitate brevique temporis spatio quod ad perficiendum hocce opuscolum datum mihi est, facere potuisse. Cum ceterum hanc scriptiuiculam non nisi prodromum illius operis videri volo, quod annuente summo numine in posterum editurus ero, annuarum constitutionum non nisi hiemalem exhibui.

Ab viris doctissimis vero, quorum manus hocce leve opusculum forte attingerit, nil petendum habeo, nisi ut in eo dijudicando cogitent tronem.

TRACTA-



TRACTATUS  
DE  
CONSTITUTIONE  
ATMOSPHAERICA.

Neque solum interest, quales dies sint,  
sed etiam quales ante praecesserint.

C E L S U S .

ACADEMIA ROMANA

---

## SECT. I.

### De usu observationis atmosphaerae.

---

#### §. I.

**S**i verum est, quod medicorum plurimi afferunt, singuli cuiusvis morbi curationem rite perfici non posse nisi cognita atque sublata ejusdem morbi causa; facilime quisque largietur, in perficienda morbi curatione nil aequem momentosum esse ac causarum aderata perquisitio, cum circa hanc omne fere medici negotium versetur. Quodsi vero unici aegroti curatio tantam in perquirendis causis requiritur assiduitatem, facilime quisque perspiciet, majorem adhuc attentionem tunc mereri illae causae morbificae, quae non unum alterumve hominem solummodo afficiunt, sed plurimis, quinimo integrarum provinciarum incolis funestae sunt, ut *atmosphaerae vicissitudines*. Hae certe attentissimo animo perscrutandae earumque effectus arte determinandi sunt. Nam nostrum quisque illis obnoxius earundem utilitate fruatur, iisque injuriosis morbo afficitur. — *Aér ut vitae, sic & morborum causa!* — Et quamvis hinc inde unum alterumve ob robustiorem corporis sui fabricam tempestati insultantem videamus; vel alii vestimentis atque domiciliis atmosphaerae incommoda arcere videantur: tamen experientia universalem tempestatum in omnia animalia influxum quam uberrime probat; & homines prae aliis eorum injuriis obnoxii erunt, quo magis a primordiali suo statu recesserint.

#### A

#### §. II.



## §. II.

Non autem atmosphaera eam solummodo ob causam nostram attentionem meretur, quod quasi unico iectu plures sanos homines morbo afficiantur: aegroti ipsi qui hoc vel illo morbo sporadico, ab atmosphaerae mutatione temere nondem vando afflicti sunt, tempestatum imperium agnoscunt, dum illorum morbi tempestatum mutatione vel sanantur, vel periculoso redduntur. Nam unusquisque morbus sporadicus obveniens, sit hic vel chronicus, vel acutus, epidemicae constitutionis genium assumit, et dirissima saepe inde oritur complicatio, ita ut medicus in morbi primarii curatione attentissimo animo regnantis atmosphaerae constitutionis rationem habere debeat.

Quid? quod nonnunquam morbus primarius ex toto fere negligendus erit, usquedum nocivos morbi stationarii effectus deleveris. Unde immortalis *Stollii* \*) egregia verba: „Perdisce ingenium constitutionis regnantis, utpote „quae cuivis alteri morbo ceteroquin sporadico; sive acuto, „sive longo, jura dare solet.“ — „Qui ad constitutiones „anni attentus non est, nullam, nec in acutis, nec in chro- „nicis morbis fidam duceim habebit.“

## §. III.

Et in morborum extenorum tractatione atmosphaerae observatio certe magni facienda est; nam vel operationem chirurgicam suscepimus, vel aliis vulneribus afflictum hominem tractandum habuerimus, assidue ad constitutionem atmosphaerae praedominantem nobis respiciendum erit; illa enim status corporis miro modo determinatur, quem iterum in vulnerum vel malignitatem vel benignitatem maximum exercere influxum, quis est, qui dubitet? Ponamus e.g. hominem sanum, qui quoconque modo grave quoddam vulneris sibi contraxerit; is statim a febre corripetur, quae febris

\*) vid. rat. med. Tom. IV. p. 63.



bris vulnerariae nomine autoribus venit, quaeque, si a complicationibus discesseris, simplicissima est et justa adhibita methodo antiphlogistica facilissime superatur. Sed haec febris diversimode determinatur pro ratione regnantis tunc tempore constitutionis atmosphaericæ, atque diversam ideo sibi vindicat tractandi methodum. Si haec febris hyperno tempore hominem vulneribus afflictum ceterumque sanum afficerit, tunc methodus antiphlogistica toto suo ambitu adhiberi poterit; quodsi vero aestate haec febris apparuerit, subiecto ceterum eodem, pessime fane ei consules, si repetitas venaesctiones institueris. Hoc enim factio non solum corpus maxime debilitatum atque humores versus putredinem vergentes habebis; sed phlogosi nimium deleta, natura illo vigore caret, qui ad puris fani atque laudabilis elaborationem necessarie requiritur; vires aegroti quam maxime consumuntur; et vulnus recentissimum in ulcus saniosum, tetterimum mox mutatur. — Nonnumquam, etsi facta jam sit suppuration, febris non diminuitur, quin potius indies exasperetur majorique vehementia appareat, quam pro vulneris conditione exspectare deberemus; tunc certe, exceptis aliis causis, effectus nocivi constitutionis epidemicae suspicandi sunt \*).

#### §. IV.

Nec non morborum sporadicorum praecipue acutorum diagnosin quam maxime facilitatam habebis, si distinctam anni tempestatumque constitutionum ut et morborum popularium inde dependentium cognitionem tibi comparaveris. Nam etsi negari non possumus, vel in vigore aestatis hinc inde nonnumquam inflammationes obvenire; mox tamen perspicies, si anni constitutionem respexeris, illas inflammations minime puras esse appellandas, eamque ob causam non in sola methodo antiphlogistica acquiesces, sed statim

ad

\* ) vid. Clar. Richter Anfangsgr. der Chirurgie. Erster Band. S. 155.



ad expellendam colluviem biliosam vel etiam pituitosam te accinges. Liceat hic iterum *Stollii* \*) verba allegare, qui hac de re sequentia fatur: „Febres annuae et stationariae nonnumquam solitariae comparent, extra tempora sui principatus ob caussas peculiares iisdem gignendis appetas: *sporadicæ* vocantur.“ — „Qui vero annuas & stationarias populariter grassantes exacte didicerit, easdem ipsas non praetervidebit, utut solitariae visas & tempore non suo.

### §. V.

Morborum tam internorum quam externorum curatio itaque ab eo rite perfici non potest, qui anni constitutionum atque earumdem in corpus humanum effectuum cognitione imbutus non est. Quam maxime semper indeterminatus erit, tam in diagnosis morborum quam in eorumdem prognosi; dissimilitudo enim symptomatum, quorum alia soli tempestatum mutationi adscribenda sunt, alia vero, & illis quidem plane nonnumquam opposita a morbi reliquis causis dependent, certe talem medicum ita perturbare valet, ut cuivis denuo symptomati occurrentum esse putaverit perver- samque sic medelam instituerit, utpote quadrata rotundis commiscens.

Sed non sufficit anni constitutiones solummodo attento inspicere animo: tempestatum quoque diversitas quam maxime attendenda est. Quod si quis hyberno tempore aegrotum tractandum habuerit, inflammatione pulmonum vel alius visceris correptum; hyems vero non, ut plerumque quidem solet, intensiore frigore, sed potius imbris frequentissimis nivibusque permultis & in aquas identidem fatiscentibus imperium suum manifestaverit; tunc profecto venaæsecções parcias instituendae erunt, quam pro anni constitutione forte putaret quisquam.

### §. VI.

\*) vid. *Ejusd. Aphor.* de cogn. & cur. febrib. pag. 281. §. 769. 770.



### §. VI.

Talis fuit hiems praeterlapsa, quae, quoad frigus, si a perpaucis & quidem primariis praesentis anni diebus discesseris, mitissima quidem sed maxime humida fuit. Inflammationes rarissimae fuerunt, morbi gastrici vero frequentissimi. Plurimi aegrotorum, qui in schola clinica Berolinensi a Clar. Prof. *Fritzze*, Praeceptore summe venerando directa recepti fuerant, uti & illi, quos ab amico quodam venerabili tractandos habui, febribus gastricis, rheumate affectibusque catarrhalibus excruciantibus; & illi, qui phlogosi tenebantur, quorum non nisi perpaucos fuisse supra dixi, repetitas venaefectiones aegerime tulerunt. Cujus rei rationem illum facillime perspecturum esse parsuassimum habeo, qui vim relaxantem aëris humidi noverit cuique ignotum non fuerit, habitum inflammatorium ideoque morbos inflammatorios eo rariores evenire, quo minus a frigore corpus nostrum corroboratum fuerit, atque quo magis partium suarum elasticitas atmosphaera madida nos ambiente deleta fuerit.

### §. VII.

Gravissimam vero aëris atque tempestatum efficaciam in determinandis morbis epidemicis contagiosis quemadmodum dubitaturum esse vix ac ne vix quidem credere possum. Quis enim est, qui ignoret quanta sit tempestatum potentia tam in coërcenda, quam in promovenda contagiorum malignitate. Pestis omnesque reliqui morbi epidemicici praecipue illi, qui putridi audiunt aestate atque autumno vigent & hyeme iterum delentur, vel saltem quam maxime mitigantur. Alii contra verinali tempore prodeuentes, mitissimum characterem exhibentes, in progressu aestatis, torrido aëstu urgente, genium assumunt pessimum, qua de re exemplum in promptu habemus. Vere exacto hujus civitatis progenies ab variolis corripiebatur, quae mites erant bonaequaque indolis, ut Praeclariss. Prof. *Reil*, Praeceptor summo honore prosequendus me docuit,  
quod-



quodque egomet ipse in aegrotis ab Illustr. Viro benevolentissime curae meae commissis observavi. Nunc vero in acme aestatis, postquam per bigam fere mensium torrido aestu excruciat sumus, variolae mitem suum genium exuuunt atque characterem malignum assumunt; nam lymphaticae maxima parte sunt & putridae petechiasque interspersae & diram cladem inter liberos efficiunt.

### §. VIII.

Sed sufficiant haec! Ex dictis, ni fallor, fuse jam patet, atmosphaerae atque tempestatum observationes minime vilipendendas, sed momentosam sane scientiae nostrae partem habendas esse. Quid tempus consumam in comprobanda veritate, nullo dubio obnoxia! Res est in aprico; & persuassimum mihi habeo, uuumquemque verum medicum hac de re convictum esse; medicastrum vero convertere — tironis nou est. Hoc unicum mihi liceat, ut ex scriptis quorumdam illorum medicorum, quibus haec res cordi fuit, verba hue spectantia allegem. Et quis, quaeſo! nostra attentione dignior est, quam immortalis *Hippocrates*, qui, quantus sit atmosphaerae tam in sanos, quam in ipsos aegrotos influxus distinctissime ostendit\*): „Zuerst,“ ait: „ſehe „man ſorgfältig auf die Jahreszeiten, und bemerke was eine „jede zu wirken vermag: denn ſie gleichen ſich ganz und „gar nicht, vielmehr ſind ſie auch an ſich durch ihre eignen „Abwechslungen verschieden. Man gebe auch auf die „Winde, vorzüglich auf die, welche alle Leute treffen, „und nächftdem auf die einer jeden Gegend einheimischen „acht“ Atque in Aphorismis sequentia exhibet: „Die „Krankheiten bekommen ihre richtigen Umläufe, und brechen ſich gut, wenn die Witterungen zu den bestimmten „Zeiten eintreffen. Hergegen werden ſie unordentlich „und brechen ſich bey sehr unregelmäßigen Wetterständen „ſchwer.“

Cele-

\*.) *Hippocrates* Werke a. d. Griechischen von Grimm. Erft. Band. S. 393.

Celeberrimus *Stoll*, medicorum neotericorum facile princeps, qui doctrinam de atmosphaera prae aliis excoluit, ejusdemque gravitatem remis velisque comprobare studuit, hac de re sic fatur: „Certe se ipsum, & artem & aegros „ludit, qui febrilium morborum curationes aggreditur, non „manu identidem quasi ductus hac fida itineris duce: tem- „poris nempe pervestigata conditione.“

„Hac temporum scientia destitutum mille formae ejus-  
dem causae παράδημα, millevē insus ludificabunt.“

„Nemo nec exercitui aegrotanti, nec numerosae in  
nosocomiis urbanae plebi consulet, qui haec magistra ca-  
ruerit, constitutionum notitia \*).“

Et Clarissimus *Grant*, postquam observationum at-  
mosphaericarum demonstravit usum, sic denuo in medicos  
spurios, hancce doctrinam negligentes invehitur:

„Now if it appears that successive seasons invariably  
produce alterations in our bodies, which dispose them to  
these different diseases, which, as from a common cause  
they affect many at the same time are called epidemic, it  
will surely be allowed, that no man is properly qualified  
to practise physic, who does not know them at first sight,  
and in every stage, whether simple or complicated with  
each other, or with any other disease, either acute, or  
chronical; and that he who presumes to prescribe for a  
fever, without knowing the reigning constitution, is a  
quack, and should be driven as a pest from civil socie-  
ty \*\*).“

## SECT.

\* ) *Stollii* rat. medend. Tom. III. p. 37.

\*\*) vid. *Grant's* enquiry into the nature, rise and progress of fe-  
vers &c. Introduct. pag. vii.

## S E C T. II.

Constitutionum atmosphaericarum  
divisio.

## §. IX.

Quicunque atmosphaerae status, sit hic vel frigidus, vel calidus, aut siccus, humidusve, *Constitutionis aëris* nomine medicis practicis venit. Sub hac itaque notione omnes comprehenduntur, mutationes omnesque vices, quibus atmosphaera obnoxia est, quaeque vel regulari coeli siderumque motui, vel subitaneae atque inopinatae tempestatum commutationi ortum debent.

## §. X.

Hae vero, quas subit atmosphaera, mutationes diversissimae atque effectus quos edunt in corpus humanum tam multiformes sunt, ut unicuique rem fusius non perpendenti videatur necesse sit, eas nunquam ad generaliores leges reduci nullasque inde regulas erui posse, quibus vel tolerabillem solummodo theoriam superstruere possemus ad explicandos earumdem in corpus humanum effectus.

## §. XI.

Sed si rite omnia perpenderimus, persuassimum habeo, nos facilime perspecturos esse, magnam illam & quasi formidabilem diversitatem revera non nisi imaginariam esse. Nam etsi negare nequeamus, perpaucos dies, quoad temperiem atmosphaerae, eosdem esse; tamen diurnae illae & fere momentaneae atmosphaerae mutationes non ita magnam medicorum practicorum attentionem, merentur, dum effectus inde oriundi per subsequentes prioribus oppositos iterum delcantur. Periculum ideo nunc faciam diversas il-

las



las atmosphaerae vices ad generaliores quasdam revocare  
earumque corpus nostrum afficiendi vim explicare studebo.

### §. XII.

Omnis, vel diversissimas speces atmosphaerae muta-  
tiones apte in duas classes dividi possunt, quarum altera  
*regulares*, altera vero *irregularis* comprehendit. Regu-  
larium nomine illae mihi veniunt, quae quotannis immuta-  
bili naturae lege suum exercent imperium, eoque finito al-  
tera alteri subnascenti locum concedit suum. Hae sunt,  
quae cum anni versioni ortum debeat, cum eadem crescant  
iterumque decrescant, convenienter *constitutiones anni* di-  
cuntur, atque sub iisdem omnes comprehenduntur mutatio-  
nes regulares, quibus atmosphaera durante anni curriculo  
obnoxia est.

### §. XIII.

Cum autem vel in unico anno permultas atque diver-  
tas vices atmosphaera subeat, e quibus iterum totidem di-  
versi ac multifarii effectus renascuntur, qui corporis nostri  
oeconomiam turbare valent; necesse est, ut has denuo ad  
generaliores reducere, & sic rerum conspectum facilitare  
fusciptamus. Huic intentioni, ni fallor, optime congruet,  
ad momentosas illas atque notissimas ambas anni vices respi-  
cere, quae post hominum memoriam irrevocabili naturae  
lege quotannis sese manifestarunt, puta *tempus hypernum*  
atque *aestivum*.

### §. XIV.

Ambo hi anni status diversissimi sunt & toto, ut ajunt,  
coelo a se invicem distineti; atmosphaerae ideo constitutio-  
nes ab illis dependentes ut diversae, atque effectus exinde  
in corpus humanum redundantes quasi ex diametro sibi oppo-  
siti sint necesse est, eamque ob causam feracissima maxime-  
que plana mihi videtur distinctio, si anni constitutiones di-  
viseri-



viserimus in *constitutionem hiemalem atque aestivalem*: nam in distinguendis rebus atque phaenomenis quibuscumque illa prae aliis eligenda & pro distinctionis fundamento assumenta erunt, quae, pro sua natura diversissima sunt maximeque a se invicem recedunt.

### §. XV.

Ver atque autumnus, respectu aëris vicium, euidem non sunt, nisi hyemis in aestatem & hujus iterum in illam transitio, atque hanc ob causam non ita peculiarem attentionem mereri videntur; sed pro dolor! ambo illa anni tempora, vernalē nempe atque autumnale morborum ita frētū sūnt, ut maxima medicorū attentione dignissima jure meritoque habeantur; cuique enim notum est, his temporib⁹, praecipue autem autumno, dirissima clade homines minari eorumque innumerabiles saepe saepius e medio tolli. Ego itaque nullam reprehensionem vereor, quod illos anni status magni fecerim et hoc respectu proprio nomine eos salutaverim, nempe *constitutione vernali & autumnali*.

### §. XVI.

Sic quatuor nobis sunt anni constitutiones, nempe *constitutio hiemalis, vernalis, aestivalis & autumnalis*, sub quibus omnes omnino regulares, quas subit atmosphaera mutationes militant, & quarum quaeque peculiari anni temporis respondet, illi nempe, cui nomen debet. Non alienum videtur, has anni cōstitutiones ita limitare, ut limitata sunt quatuor anni tempora, solsticiis nempe atque aequinoctiis. Hiems incipit cum solsticio brumali atque terminatur ab aequinoctio vernali, ubi ver imperium capessit ad solstitium aestivale usque; nunc aetas regnat ad aequinoctium autumnale, ubi ab autumno excipitur, qui tandem solsticio brumali in hiemem iterum abit. Notandum vero hic venit, quod, si anni constitutiones pro quatuor, his anni tempore.



temporibus divisorimus, hoc non ita stricte sumendum esse, cum atmosphaerae temperies pro hacce arbitria divisione nec cōcereri possit nec prolongari.

### §. XVII.

Nunc de irregularibus (§. XII.) atmosphaerae mutationibus sermonem ut instituam necesse est. *Irregulares atmosphaerae mutationes* eas saluto, quae non ita stabili norma eveniunt, ut, experientia edocti de earumdem adventu, progressu atque cessatione quid certi stabilire queamus, quin potius ex improviso in nos irruant, regularibusque anni vicibus superveniant. Hae sunt, quae praecipue subitaneae atque inexplicabili ventorum mutabilitati ortum debent eamque ob causam *tempestatum constitutiones* optime audiunt.

Sic atmosphaerae constitutiones omnes revocantur ad *constitutiones anni*, vel *regulares & constitutiones tempestatum vel irregulares*.

### §. XVIII.

Cum harum, irregularium nempe, diversitas in ventis eorumque mutatione fundata sit, ad illorum principes nobis erit respiciendum. Sunt vero ventorum cardinales: Boreas, Auster, Eurus atque Zephyrus, quorum quisque pro regione ex qua nobis venit; ut & pro majori vel minori vehementia quacum nos aggreditur, diversam atmosphaerae temperiem diversumque vel siccitatis vel humiditatis gradum efficit & simili modo magis minusve nos afficit. Notandum vero hic est, has ventorum qualitates non semper a sola regione dependere, ex qua illi nos aggrediantur \*), sed diversis rebus concurrentibus tribuendas esse.

### §. XIX.

\*) vid. Clariss. *Gren Grundriß der Naturlehre*, §. 920.



## §. XIX.

Ex illis vero ventis principalibus (§. praec.) Eurus atque Zephyrus non quidem, qua nos afficere possunt, efficitate carent; verumtamen illi prae aliis considerandi erunt, qui subito ex altero in alterum statum, priori fere ex diametro, ut ajunt, oppositum transeunt, quique, dum in corpus humanum effectus, illi subitaneae mutationi quadrantes edunt, omnium medici attentione dignissimi habendi sunt, ut Boreas & Auster. Horum enim adventu atmosphaera dilucidissime mutatur, frigidissima enim maxime que sicca redditur, vel humida calidaque. Cum vero Boreas praecipue hiemi & Auster aestati solemnis sit, in harum constitutione describenda illorum mentionem faciam.

## §. XX.

Cum tempestatum constitutiones irregulares sint, & regularibus anni constitutionibus ex improviso superveniant, easque diversimode determinent; ex re omnino esse putavi, easdem *constitutiones intercurrentes* nominare, quippe quae denominatio optime congruit illi ideae, quam de irregularitate harum constitutionum concipere debemus: nam regularibus confuse superveniunt, easdem modificant earumque furorem vel suspendunt, vel viam ei sternunt. Hoc eodem consilio celeberrimus Stoll eas universales causas morbificas *intercurrentes* nominasse videtur, quae vel subnascenti contagio, vel intercurrenti tempestatum mutationi ortum debent. Hujus denominationis ope medicus multo melius ea distingui potest, quae morbo primario solemnia sunt, ab illis, quae accidentalia, supervenientia atmosphaerae vitia audiunt quaeque morbo cuidam pertractando ita singularem characterem induere valent, ut medicus horum ignorans nec sibi nec aegroto consulere sciat perversamque ideo medelam instituat.

## §. XXI.



## §. XXI.

Supereft adhuc ut diversarum aliarum constitutionis notionum mentionem faciam, quia a permultis medicis constitutionis notio diversimode usurpatur. Sic frequentissime loquuntur de *constitutione epidemica*, quamquam hujus rei notio nondum satis determinata sit. Alii enim hoc sub termino statum atmosphaerae, epidemiae tempore regnantem intelligi volunt; alii contra relicta atmosphaerae constitutione, ea solummodo adducunt, quae loco cuidam, vel regioni ab epidemia correptae endemica sunt; alii vero, & quidem majori jure, comprehendunt hac notione omnes causas remotas, quae morbum epidemicum producere valent, quae etiam illius termini explicatio maxime mihi arridet. Non enim sufficit, ut ille, qui epidemiam verbis depingere suscipit, ipsi morborum historiae praemittat descriptionem praegressae atque praesentis atmosphaerae constitutionis, sed necessarie requiritur, ut topographiam simul exhibeat, & alimentorum, vitae generis aliarumque rerum rationem habeat. Clar. *Hecker* \*) sequentem exactam constitutionis epidemicae descriptionem exhibit: „Nomine constitutionis epidemicae, quaenam tenus statim quandam externum designat, peculiaris quedam qualitas rerum s. d. non naturalium, aëris praesertim & nutrientorum venit, qua corporis humani propensio quaedam vel dispositio ad certum quoddam genus morborum producitur, aliturque, & morbi ex eodem genere, vel frequentiores, quam alias fieri solet, ingruunt, vel epidemice grassantur, vel sporadicis malis sese immiscent. Haec delineatio rei ipsi optime adaequata mihi videtur, praesertim cum Clar. Auctor in progressu dissertationis citatae non solum aërem atque alimenta, eorumque vel defectum, vel malam conditionem, sed & miasmata diversaque alia, causis constitutionis epidemicae accenseat. Nam atmosphaerae constitutio, etsi in producendis morbis epidemicis sum-

mutum

\*) vid. *Hecker*, resp. *W. Koch*, *dissertatio de constitutione epidemica*. Erfordiae 1791. 4.



mum procul dubio teneat locum, tamen alimenta vitaेque genus, &c; magnam symbolam conferunt ad determinan-dam aegrotorum dispositionem.

### §. XXII.

Quaque atmosphaerae constitutio prae aliis eminens suamque potentiam longius protrahens, *constitutio regnans* (die herrschende Constitution) dicitur, quippe quae reliquas supprimit, earumdem effectus vel delet ex toto, vel tenebris saltem obducit sibique praerogative medicorum attentionem vindicat.

Si vero alterum ab alterum abit constitutionem atque proximae subnascenti dominium tradit, tunc ex hac coitione constitutio quaedam hybrida procreatur, singularem, variegatum characterem exhibens, tam praegressae quam praesentis constitutionis qualitatibus dotatum. Haec est, quae *constitutio subintrans* audit quaque morborum diagnosis saepe saepius inextricabilem reddit, & medicus qui in medida instituenda non ambarum constitutionum naturam semper respicit, facilime perverso modo morbos tractat utpote imma summis commiscens. Hance perniciosa constitutionum complicationem nemo magis luget, quam celeb. Stoll \*), qui, postquam morborum ab exeunte hieme in eunteque aestate productorum characterem dissimulatum exhibuit ostenditque quam facilis hic sit medici in errorem deductio, his tandem verbis utitur: „Ea deceptio vix unquam vigente constitutione quadam, sed emoriente potius, aut ordiente, atque in ipsa unius in alteram migratione frequentius locum habet.“

Et paulo post tironibus medicis sequentem attentione maxima dignum canonem offert: „Qui praxin medicam alia, cubi orditur, hos constitutionum fines contiguos, transi-tusve prudens vitabit, suaque famae magis consulat, si „tem-

\*) vid. Ejusd. rat. medend. Tomi. II. pag. 317.

„tempus anni feligat, quod morbos profert sinceros, effictos,  
„que, atque indaginis hoc ipso minus tortuosae.“ — Hae  
constitutiones oriuntur, dum vel regularium annuarum altera  
in alteram transit, vel dum regulari cuidam alia constitutio  
intercurrentis supervenit eamque modifcat.

### §. XXIII.

Maxime vero momentosa est illa constitutionis notio,  
quae, addito quodam epitheto, inservit ad designandam  
conditionem morbosam ab epidemia quadam natam. Hoc  
sensu loquuntur, & jure quidem maximo, de *constitutione inflammatoria, catarrhali, putrida, bilioſa* &c. quae qua-  
fi principales habentur. Quando vero harum altera in al-  
teram transmigrat, vel etiam superveniente constitutione  
intercurrenti, mixta quaedam constitutio inde oritur, quam  
tunc composito nomine salutant, *ut bilioſo-inflammato-*  
*ria, aut bilioſo-putrida* &c.

Diversae quidem aliae adhuc supersunt constitutionis  
notiones, sed minus graves, quas qui explicatas legere vult,  
adeat Clarissimi Junckeri Versuch einer allgemeinen Heil-  
kunde, Part. II. pag. 225 seqq. Praemissa sic atmosphae-  
rae constitutionum delineatione videamus nunc earumdem  
quae sit potentia. Quod aptius, ni fallor, fieri poterit,  
si primo atmosphaerae generaliorem influxum consideraveri-  
mus & tunc quae cuique ejusdem modificationi peculiaria  
sint perquisiverimus.

SECT.



## S E C T. III.

Generalis atmosphaerae contem-  
platio.

## §. XXIV.

Physicam dare atmosphaerae descriptionem hujus loci non est & superfluum etiam foret, cum unicuique, quid sub atmosphaerae nomine veniat, sat superque notum sit. Aërem atmosphaericum hic solummodo qua grave quoddam, elasticum purumque fluidum considero, relictis omnibus reliquis ejusdem determinationibus infra fusiis explicandis.

Effectus quos in corpus nostrum edit atmosphaera, dupli ratione considerare possumus, respicientes nempe :

1) *Pulmones iisque mediantibus perficiendam respirationem.*

2) *Totum corporis ambitum.*

Liceat nunc physiologica quaedam axiomata eruere, ut sic eo fusiis pateat, quam gravis sit aëris in perficienda respiratione influxus, quam necessarium sit requisitum ut aër justis gaudeat qualitatibus, quantasque calamitates corpori nostro eveniant ex respiratione aëre nocivo peracta. Non vero mens est, sinuose omnique prolixitate respirationis mechanismum delineare, quippe quod nec huic loco nec meae intentioni quadraret, sed necessaria solummodo adducam, ut dicti ratio appareat.

## §. XXV.

Res est omnibus physiologis notissima, respirationem, momentosam illam functionem vitalem, sine aëris accessu perfici non posse, quin potius ejusdem in pulmones ingressio necel-

necessarium sit respirationis requisitum. Sed plurimum simul interest, ut aëris justis polleat qualitatibus, cum alias respiratio non solum rite absolvi nequeat, sed aëris ipse sanitati, quam maxime infestus periculosusque fieri possit. Effectus primarii aëris in perficienda respiratione versantur:

- 1) *in justa pulmonum distensione;*
- 2) *in diphlogisticatione sanguinis;*
- 3) *in absorptione humoris perspirabilis, cuius ex pulmonibus avolatio certe magni facienda est.*

### §. XXVI.

Aëris itaque respirationi idoneus sequenti triplici virtute dotatus esse debet; requiritur nempe, ut aëris sit debito modo *elasticus, purus, siccus.* Harum qualitatum destitutus aëris respirationi inservire minime potest, sed sanitati potius ipsique vitae quam maxime nocivus est. Hoc enim facililime quisque perspiciet, aërem infestis dotibus praeditum eo magis periculosem nobis fieri debere, quo minus eodem vel per pauca momenta carere possumus. Sed clarius dicti ratio cuique patebit cum de quavis aëris respirabilis qualitate fusi locuti fuerimus atque deleterios effectus ostenderimus, qui corpori nostro eveniunt, si respiratione in aëre justo minus elastico, vel impuro, vel nimis humido peragitur.

### §. XXVII.

Aëris debito elasticitatis gradu praeditus sicut est nec nimis frigidus nec nimium calidus. Pulmones intrans eorumdem cellulas aëreas facililime dilatata, sanguinis per pulmones transitum promovet; hoc ipso efficitur, ut sanguis saepius pulmones permeare possit saepiusque aëris actioni exponatur; sic sanguinis partes putridae, aut si mavis, phlogisticae, facilius ab aëre excipiuntur factaque exspiratione ex corpore eliminantur. Talis est aëris tempore hyberno,

B

quando



quando frigus siccum obtinet, nec non aestate si nempe aestus ventis frigidioribus moderatus fuerit.

Facillime autem e contra quisque perspiciet, aëre justo minus elastico pulmones non debite inflari, sanguinem per pulmones circulantem retardari, partes phlogisticas retineri &c.

Aër atmosphaericus purus dicitur, si justa proportio aëris dephlogisticati cum reliquis atmosphaeram constituentibus fluidis aëreis exstat, neque vaporibus nocivis inquinatus est. Necesse autem est, ut saltem quarta pars aëris atmosphaericici sit dephlogisticata; tunc respiratio libera est & sanguis facilis partes nocivas exonerare potest, quibus dum corpus permeat, obruitur. Deleterios autem aëris putridis exhalationibus inquinati effectus ex dictis facile quisque demetiri poterit.

### §. XXVIII.

Aër siccus vero qui praeprimis in acme hyemis atque aestatis praeordinans est, gravi pulmonum exhalationi praecipue favet, cum halitus aquosos, qui materiae perspirabilis nomine assidue in pulmonibus magna copia a sanguine secernuntur, maxima cum aviditate excipiat & facta exspiratione e corpore eliminet. Hoc modo sanguis a magna qua secat partis serosae quantitate liberatur, quaeque partim insensibiliter per cutem in aurás abit. De momentosa pulmonum exhalatione medicorum plurimi inter se conveniunt eamque non impune sed maximo potius periculo super primi posse persuasi sunt. Quodsi vero hos vapores atmosphaera excipere non potest, id quod aëre humido aquis imprægnato evenit, periculosos tunc inde oriri pulmonum effectus infra fusiū explicabitur, cum de noxiis atmosphaerae proprietatibus locuturus fuero.

### §. XXIX.



## §. XXIX.

Jam nunc quae sit aëris atmosphaericæ in totum corpus potentia, paucis perquiramus. Sat notum est enorme illud pondus, quo aër omnia, quæ circumdat corpora ideoque & nostrum corpus perpetuo premit, & quod a physiologis æquale habetur summae librarum 32000. Hoc pondus quidem nimis exaggeratum mihi videtur; sed etiamsi quidquam de summa ejusdem deduxerimus, sat magnum tamen restaret, ut, monente *Huxhamio*, quidquid nobis inest liquoris exprimeret, ni pressura foret aequalis ubique, ni ex aequo resisterent inclusi humores. Hac vero perpetua pressura tota corporis moles confirmatur; solidorum particulae altera alteri appropinquantur; humores non solum coërcentur, ne nimium vasa continentia distendant, sed etiam magis condensantur sanguinisque circulus acceleratur. Quæ omnia commoda desunt, deficiente justo elasticitatis gradu. Praecipue autem perspiratio sic dicta insensibilis qua tota corporis superficies participatur, quam maxime turbata & tota quanta interdum sublata est, si aëris nos ambiens madidus & vaporibus aquosis imprægnatus reperitur. Sed magna gaudet probabilitate, ut in pulmonibus, sic & in toto corporis ambitu partes putridas magna copia fecerni atque ab aëre ubicunque nos ambienti excipi earumque loco materiam caloris corpori nostro impertiri. Sed hic requiritur, ut aëris sit debite purus (§. XXVII.) cum ille qui putridis vaporibus scatet, exhalationes corporis excipere non valeat.

## §. XXX.

Haec sufficiant de atmosphaera in genere; unumquemque singularem atmosphaerae statum describendum nunc adeo. Et hic praecipue ad quatuor momentosas aëris atmosphaericæ determinationes respiciam, ad frigus nempe, calorem, siccitatem humiditatemque; quid quaque aut singularia, aut reliquis conjuncta valeat, perquiram, ut sic de-



mum, quae cuique anni constitutioni sint peculiares atmosphaerae conditiones, qui que inde corpori nostro eveniant effectus, dilucide pateat.

Primo loco itaque de aere frigido & sicco, tunc de aere frigido & humido dicendum erit, quo factio aer calidus humidusque traflandus veniet. Necesse vero est, ut antea ingenuosae novae theoriae mentionem faciam, quae nuperime e Celeb. *Hecker* \*) prolata est, atque secundum quam Cl. Auctor omnes morbos a constitutione epidemica iortos ex mutato corporis nostri calore argutissime explicare studet. Summam hujus theoriae sequentibus delineatam habes.

### §. XXXI.

Calor omnibus corporibus, sic fatur Celeb. *Hecker*, dupli ratione inest, vel *ligatus*, qua pars eorum constitutiva, vel *liberatus*, sensibus nostris percipiendus. — Intercedit corporibus cum materia caloris affinitas, quae-dam chemica, certis legibus limitata. — Liberatur corporis calor ligatus, sensibusque perceptibilis redditur: quando

- a) major caloris liberati copia corpori communicatur, quam pro affinitatis legibus excipere potest.
- b) Quando corporum mixtio turbatur, sit hoc vel se-jungendo partes constitutivas, vel novam proportio-nem constituendo, ut mutando corpora fluida in so-lida &c.

Infigitur contra corpori calor, corpusque frigescit: si

- a) tanta est corporis cum calore affinitas, ut majorem hujus copiam ligare possit, quam alio tempore, lo-co &c.

b) si

\*) I. e.



b) si mixtio corporis alteratur, e.g. corpora solvendo,  
solida in fluida mutando &c.

Haec eadem somnia de corpore nostro valent; quam itaque ob causam necesse est, ut sub certis conditionibus corporis nostri calor nunc augeatur, nunc iterum diminatur, & quidem secundum sequentes a Clar. Auctore stabilitas leges:

1) *Increvit sanguinis & reliquarum c. h. partium, in caloris materiam affinitas, decrecente earum densitate & cohaesione.*

Decrescit autem earum densitas, diminuiturque cohaesio: calore ipso, potu aquoso multo, nutrimento vegetabili &c. Quae omnia solemnia sunt aestati vigenti & climati servidiori; solida inde laxa evadunt & molliora, fluidaque attenuata, resoluta; major itaque caloris quantitas in corporis nostri partem constitutivam mutatur, eoque ipso calor liberatus seu sensibilis diminuitur. Quibus omnibus perficitur, ut sensibilis caloris gradus, qui in homine, Physiologia docente, semper idem est, aestivis caloribus haud vel parum augeatur.

2. *Decrebit sanguinis & reliquarum c. h. partium cum caloris materia affinitas, incremente earum densitate & cohaesione.*

Augentur vero densitas & cohaesio: frigore constringenti; desunt hyberno tempore conditions, quae corpus extenuare & relaxare possint, ut atmosphaerae calor, alimenta vegetabilia, &c. Hancce itaque ob causam calor liberatus corpori admotus ei non infigitur, sed calori animali sustentando inservit.



## §. XXXII.

His positionibus praemissis procedit Clar. *Hecker* ad constitutionem epidemicam ejusdemque diversas species describendas, & omnes a const. epidem. productos morbos ex solo corporis calore mutato explicare studet. Cum ego solummodo constitutionem atmosphaericam delineare suscep-  
rim, quam non nisi partem, licet maxime momentosam, causarum constitutionis epidemicae videri volo; in hac quiescam, relictis omnibus reliquis causis. Non quidem nego, effectus atmosphaerae secundum novam theoriam explicari posse, quamque etiam ob causam ejus rationem habiturus sum; an vero omnes constitutioni epidemicae tribuendi effectus ex hoc unico fonte derivari possint, hoc ad-  
huc dubitare mihi liceat.

In sequenti sectione effectus exhibeo, qui unicuique atmosphaerae statui peculiares sunt, ut postea pressiori pede constitutionum anni descriptionem prosequi possim.

SECT.



## SECT. IV.

De quovis atmosphaerae statu in specie, et primo quidem de Aëre frigido et sicco.

## §. XXXIII.

Quaecunque corpora physica, sint haec vel viva, vel inanima, a frigore quam maxime coarctantur, solidorum particulae altera alteri appropinquuntur, cohaesio ideoque elasticitas mirum quantum augetur. Frigus praeterea stimuli munere in solida fungitur, quo eorumdem & contractilitas & irritabilitas augeatur necesse est; his vero auctis, quo-cunque dato stimulo & frigore ipso solidorum contractio in- crescat. Si autem porro consideramus, aërem frigidum sic- cumque permagno gaudere elasticitatis gradu, (§. XXVII.) quo totum corpus comprimitur atque vasa constringuntur; facillime quisque perspiciet, partes solidas majorem se contrahendi vim exercere, vasa coarctari eoque ipso humorum circulantium velocitatem promoveri, cum pro lege quadam physica motus fluidorum progressivus eo gradu augeatur, quo motus lateralis diminutus est.

## §. XXXIV.

Ex his vero frigoris effectibus primariis alii adhuc eff- fectus secundarii oriuntur. Aucta enim sanguinis & reli- quorum humorum circulatione attritus atque consumtio par- tium augetur simulque omnes se- & excretiones angeantur necesse est. Omnes corporis functiones agiliter perficiuntur, digestio facilitatur unde appetitus effrenatio, cibosque afflu- mendi necessitas. Et corporis calor naturalis hyberno tem- pore multum increscit, ut omnibus physiologis sat notum est, cuius rei rationem diversimode explicant; alii, & qui- dem



dem medicorum mechanicorum sectae adscripti hunc calorem a frictione ortum esse contendunt, alii, *Cramfordio addicti*, aëris dephlogisticati decompositionem accusant; aliis tandem, *Ryghyanis* nempe, huncce calorem ex ciborum destructione derivare placet. Secundum Clar. *Hecker* vero corpus nostrum ob densitatem a frigore auctam minori gaudet cum materia caloris affinitate; (§. XXXI.) minori copia itaque calor corpori infigitur & major contra ejusdem quantitas libera restat ad sustentandum naturalem sensibilem calorem.

### §. XXXV.

Praecipue vero frigoris effectus aperti sunt in partibus ei plane expositis teneroque solummodo tegumento obductis, ut cavum narum, fauces, trachea, & prae aliis pulmones, qui tenerrima structura sunt, atque tam magnam superficiem exhibent, quae a quibusdam physiologis multo major habentur totius corporis superficie; ex his ratio patet, cur pulmones tot morbis infra commemorandis obnoxii sint. Vehementiori gradu frigus permultos alias particulares corporis affectus producit, qui per se jam morbos constituunt, quosque, ne arctos dissertationis limites excedam, transeo.

### De Aëre frigido et humido.

#### §. XXXVI.

Ex observationibus physicis constat, aërem humidum multo minus elasticum esse aëre sicco. Humidi itaque aëris actio in corpus nostrum ideoque ejusdem partium reactio maxime diminuitur. Non quidem frigoris stimulus deest, sed vis ejusdem valde attenuata sit necesse est, solidorum ideo mobilitas & actio in fluida imminuitur. Sed ambiente humiditate solida relaxantur, elater corum deperditur; unde eorumdem constrictio[n]is suspensio & fluidorum circulantium velocitatis languor. Languescente circulatione secretiones ac excretiones justo modo non percipiuntur, partes serosas, aquosae



aquosae in corpore retinentur nimiaque copia accumulantur. Etiamsi vero humores superflui excernerentur per cutem atque pulmones, ab atmosphaera tamen, aquis jam imprægnata excipi non possent; ab altera parte potius vaporess aquosi, quibus pollet aer atmosphaericus, a corporis partibus resorbentur sanguinique inferuntur. Necesse itaque est ut sanguinis omnesque reliqui humores nimis aquosi, vappidi evadant, & serosa pars in corpore accumuletur.

### §. XXXVII.

Omnis itaque corporis functiones languescunt, præcipue digestio vitiata est; humores enim gastrici e sanguine vappido secreti digestionem rite perficere & chylum iustis qualitatibus pollentem elaborare nequeunt; chylus depravatus in sanguinem receptus apte digeri & pars alimentorum gelatinosa nutritioni inservienda in liquorem nutribilem lymphaticum, animalitatem (sit venia verbo!) prædictum verti non potest, ob labefactam solidorum actionem; pituitae inde lymphae loco coacervatio. Ex his facile sanguinis qualitas dijudicari potest; aquosus nempe sit sanguis, mucosus, nimis dilutus, necesse est, & qualis sanguis, tales reliqui e sanguine secreti humores erunt, mucosi nempe, aquosi, satui; corpus ideo repletur quidem, non vero rite nutritur corroboraturque.

### §. XXXVIII.

Perspiratio itaque totius corporis, præprimis autem exhalatio pulmonum, quam momentosam diximus, (§. XXVIII) impeditur, unde coacervatio pituitae & seri in pulmonibus indeque diversi pulmonum affectus, qui partim a frigore constringente, partim a relaxante aëris atmosphaericæ madore, partim tandem a stagnante sero & pituida in pulmonibus ortum trahunt. — Sed his tantum; ad contemplationem aëris calidi simulque siccii effectus nūc pro gredior.

C

D:



## De aëre calido et sicco.

### §. XXXIX.

Uti frigus omnia quae attingit corpora constringit atque coarctat, sic calor eadem omnia expandit eorumque volumen auget. Solidorum particulae ideo a se invicem removentur, cohaesio diminuitur, elasticitas magno gradu tollitur. Hanc ob causam solida corporis nostri in fluida justo modo agere non valent, nam eorumdem vis contractilis maxime debilitata est. Attamen sanguinis ac reliquorum humorum circulatio non ita retardatur, ut pro illa ratione fieri deberet; nam calor simul qua stimulus agit, quo solida corporis ad frequentiores contractiones cidentur, ita ut singularium contractionum debilitas recompensetur earumdem frequentia, sic se- & excretiones non ita multum diminuuntur, quam forte quisquam putaret.

### §. XL:

Sed humores etiam a calore maxime afficiuntur, cum eos rarefaciat, & partes eorumdem constitutivas a se invicem removendo mutuam earum cohaesionem diminuat; motus intestinus calore quam maxime augetur, acceleratur, sanguis itaque reliquie humores nimis resoluti ad putredinem vergeant necesse est; illi humores, qui pro sua natura majori spissitudine gaudent, nimis attenuantur, atque inertes evadunt fatuique. Sed relaxatis solidis, solutis fluidis necesse est, ut horum major quantitas dissipetur per corporis colatoria, eo facilius quidem quo avidior est aer secus vapores serosos, aquosos, materiae perspirabilis nomine a corpore secretos excipere. Cum denuo ex atmosphaera calida sicca nil humidi a corpore attrahi possit, exsiccatum hoc fieri debere, & macilentum tabidumque, quisque facile perspiciet. Sudore profuso ea fluidorum pars adhuc dissipatur quae alias lubricationi diversarum partium inservit, unde



de gulae, arteriae asperae, nasi &c. exarescentia alvi ob-  
structio rel.

### §. XL I.

Quodsi nunc ad aëris calidi vim relaxantem, & exte-  
nuantem respexerimus, qua mediante solida corporis nostri  
laxa redduntur & molliora, humores vero attenuantur, co-  
haesio & spissitudo eorum diminuitur, eoque ipso densitas  
tollitur; tunc facile cuique patebit ex (§. XXXI.) quo-  
modo corpus ad calorem se habeat. Increscit nempe, se-  
cundum Clar. *Heckeri* theoriam, ob diminutam solidorum  
fluidorumque densitatem corporis cum materia caloris affini-  
tas, majori copia ideo calor corpori impertitur, in ejus  
partem constitutivam vertitur mixtionem alterat, motum  
intestinum promovet totumque corpus ad putredinem dispo-  
nit. Sed evidenter evadunt hi effectus perniciosi, praes-  
ente aëre calido humiditate juncto, quem nunc denuo de-  
scribendum adeo.

## De aëre calido et humido.

### §. XL II.

Hic certe omnium pessimus est, cum eos omnes dele-  
terios effectus, qui calori atque humiditati, cuique singulo,  
proprii sunt, conjunctos exhibeat ideoque pressiori pede to-  
tius corporis destructionem prosequatur. Caloris enim par-  
tes solidas relaxandi vis humiditate promovetur, quae par-  
tibus a calore rarefactis facilius sese insinuat, singulas a se  
invicem removet; cohaesione sic diminuit omnemque fe-  
re elasticitatem delet. Colatoriis cutis calore apertis majo-  
ri facilitate aëris mador a corpore excipitur, fluidisque im-  
miscetur, unde majori gradu eveniunt effectus nocivi  
(§. XXXV.) delineati. Permagnus inde omnium functio-  
num ab iusta solidorum contraccione dependentium languor,

hu-



humorum circulantium retardatio, unde eorumdem stases atque coacervatio in hoc illove loco; accedente calore motus intestinus cietur, acceleratur, & eo facilius quidem, quo major est solidorum laxitas sanguinisque circulationis torpor; omnia vis vitalis energiam prosternunt atque putredo presso pede accedit; nam solutis fluidis sudores enormes, execrabilis sequuntur, quos iterum virium vitalium maxima prostratio excipit.

### §. XLIII.

Unicuique nunc facile patebit nullum atmosphaerae statum hocce pejorem esse, nullumque ideo maxima medici attentione dignorem. Sufficient haec; hucusque atmosphaerae quemque statum ejusdemque effectus delineavi; necesse nunc est ut eosdem, habito ad anni tempora respectu considerare me accingam, ut sic qui cuique anni constitutio- ni peculiaris sit atmosphaerae status, quique inde oriantur pro quaque constitutione morbi, facilius perspicere detur.

SECT.



## SECT. V.

## Constitutionum anni descriptio.

## §. XLIV.

Praemissa constitutionum atmosphaericarum divisione (Sect. II.) atque delineatis momentosis atmosphaerae effigiebus (Sect. III. IV.) ad singulae anni constitutionis contemplationem me nunc convertam perquiramque quinam atmosphaerae status huic vel illi anni tempori praecipue aliis solennis sit, quique praecipui morbi hoc tempore grassentur. Eundem ordinem sequar, quem antea (§. XVI.) in dividendis atmosphaerae constitutionibus secutus sum, eoque respectu loquar de constitutione hiemali, vernali, aestivali & autumnali; irregularium vero constitutionum (§. XVII.) in cuiusdam anni constitutionis descriptione semper immixtam mentionem faciam. Jam nunc ad constitutionem hiemalem progredior; reliquarum vero anni constitutionum descriptionem in posterum exhibebo.

## De constitutione hiemali.

## §. XLV.

Hyems plerumque ita limitatur, ut a solstitio brumali eam incipere atque aequinoctio vernali in ver abire dicant. Negari quidem haud potest, hyemem hancce limitationem nonnunquam excedere, dum citius serius regnum suscipit suum, eodemque modo nunc longius protrahitur, nunc iterum citius a vere excipitur. Verumtamen cum ut plurimum hyems illum ordinem sequi solet, omnino hanc divisionem assumere possumus; nam aberrationes hic locum habere nonnunquam, supra jam monuit (§. XVI.) In hoc autem anni stadio, si frigus siccum obtinuerit, tunc omnes illi effectus corpori nostro evenient, quos



quos §. XXXIII — V. adduxi. Solida frigore constringuntur nimiumque robur eis impertitur; sensilitas eorumdem magno gradu augetur; fluida spissiora evadunt, tam ab ipso frigore, quam a nutrimentorum solidorum usu, ut & solidorum agiliori contractione; circulatio eorum acceleratur; calor naturalis increscit; digestio alacrius perficitur; major itaque sanguinis quantitas elaboratur, unde status plethoricus oriatur necesse est, rel.

### §. XLVI.

Omnibus his ea corporis dispositio producitur, quae *constitutio iuflammatoria* audit. Morbi inflammatoriis praedominantes erunt, sint hi vel universales vel topici. Cuique fere morbo sporadicō inflammatoriī quid imperti-  
tur eoque diversimode alteratur. Praecipue vero fauces atque pulmones patiuntur, quippe qui immediato frigoris taſtui expositi sunt; hinc anginae, raucedines, tuffes, peri-  
pneumoniae, pleuritides &c. magno numero aborientur. Promoventur autem miro modo hujus generis morbi, si Boreas cum vehementia spiraverit, quo partes illae exci-  
cantur exasperanturque; tunc frequentiores harum partium erunt obſtructiones indeque ortae inflammations. Sed id genus morbos regnante hac constitutione frequentissimos esse testantur *Hippocrates*, *Sydenham*, *Grant*, *Stoll* rel. ita ut, quae theoria exhibuit, experientia exactissime affirmentur.

### §. XLVII.

Si vero frigus cum aere mitiori frequenter alterna-  
verit, sic ut nunc aura mollis, nunc iterum frigus inten-  
ſiſſimum regnarit; tunc arthridides anomalaе, rheumatis-  
mi acuti s. inflammatoriī, ejusdemque progenies, lumba-  
gines, ischiades rel. prae aliis morbis frequentes erunt;  
febres inflammatoriae vero universales rariores tunc pro-  
venient: nam aura molliori mox iterum relaxantur solida  
a fri-



a frigore constricta; superveniente vero denuo frigore corporis sensilitas irritabilitasque mirifice augentur, & febres inflammatoriae & locales inflammationes purae nunc iterum adparent frequentissime.

### §. XLVIII.

Quod si nunc vero frigoris sicci loco per totam fere hyemem frigus humidum praedominaverit, tunc quisque facilime perspiciet eos non posse evenire effectus, quos in §. §. praecedentibus delineavi; sed ea potius constitutio imperabit, quae alias veri competit quamque hac de causa cum constitutione vernali una describam, cuius vero, ut & reliquarum anni constitutionum delineationem, annuente summo numine, in posterum exhibitus sum.

### E m e n d a n d a:

- Pag: 5. lin: 12. leg. persuassimum.
- 9. — 22. — hybernuni.
- 13. — 20. — statum.
- 14. — 10. — alteram.
- 20. — 7. — ingeniosae.

### THESES.



# T H E S E S.

---

## I.

**Ligatura arteriarum vulneratarum, si fieri potest, compressioni omnino praferenda est.**

## II.

**Maxime inter se convenient Catarrhus, Rheumatismus atque Dysenteria.**

## III.

**Hepar in causa est, cur incipiente respiratione pulmo dexter & praecipue ejusdem lobus infimus omnium primus inflatur.**


## IV.

**Digniss. Camperi assertio cui & Clar. Metzger assentit, vitam ac respirationem esse inseparabilem, experientiae non congruit.**

---

W18  
PICA





2

TRACTATUS  
DE  
CONSTITUTIONE  
ATMOSPHÆRICA.

